



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)



NOSTIS, fratres charissimi, sicut ex Catholica fidei magistro didicistis, quia in vltima discussione examine, omnes simul & peccatores & iusti ante tribunal aeterni Iudicis cum suis sunt corporibus exhibendi, Apostolo testante, qui ait: Omnes nos oportet manifestari ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et reprobi quidem ad hoc, vt quia hic cum carne simul & anima Conditoris sui praecipua calcauerint, cum eadem illic vtraque substantia sententiam iustae damnationis excipiant, atque vtrouique deinceps suppliciorum amaritudinem sentiant, quidum viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque deseruiebant. Electi autem, vt quia carnem suam nunc cum vitijs & concupiscentijs crucifigere non desistunt, cum ipsis suis corporibus, quibus videlicet tanquam tabernaculis in diuina militia vsi sunt, ad supernae claritatis gloriam prouehantur: vt soluto militiae cingulo, vnum tunc interior & exterior homo sentiant quietis perpetuae municipium, qui ad vnum peruenere per communia bella triumphum: & quibus vna fuit pugna, eadem sit nihilominus & corona. Istud planè erit sabbatum nostrum, ille septimus legis annus, ille veraciter Iubileus. Sabbatum quippe feriatum esse praecipitur, & aeterna per illud requies figuratur. Sub eiusdem quoque quietis aeternae vel resurrectionis designanda mysterio, in septimo anno libertas redditur. In Iubileo autem tubis clangitur, vt vnusquisque ad possessionem propriam reuertatur. Canet enim tuba, sicut dicit Apostolus, & mortui qui in Christo sunt, resurgent. Ad possessiones ergo proprias omnes tunc reuertuntur: quia in illo vltimo resurrectionis die vnusquisque proprium corpus recipit, in quo, dum praesentem vitam duceret, habitauit. Tunc Adam, tunc Noè, tunc omnes antiqui patres, immò omnium mortalium animae ad amissam carnis suae terram redeunt: quia recepta corpora sua in perpetuum possidebunt, & perducati in libertate filiorum Dei, iam secure gaudebunt omnes, seruili vinculo corruptio- nis humanae soluti. Cum ergo sanctorum corpora tanta futura sint dignitatis, vt & coronam vitae perpetuae, & immortalitatis stolam cum suis animabus sint communi- ter receptura: quid mirum, si nunc omnipotens Deus apta illis loca prouideat, & eorum tumulos non passim, vel per casum fieri, sed ex sua voluntatis electione dispo- nat? Enimvero & illud sapè non ociose quaeritur, Cur Abraham, qui se ex parte cor- poris puluerem esse confiteretur & cinerem, tam ambiciosam sepulturae suae prouiden- tiam habuit, vt ex omni peregrinationis suae latitudine solam Hebron, Chananitidis, videlicet regionis, eligeret, in qua etiam non parua summa speluncam sibi duplicem compararet. Iacob quoque filios, & Ioseph fratres suos obtestantes adiurant, vt eorum ossa ad eandem speluncam post obitum transferant. Quid est ergo, quòd sancti viri, qui & praesentem, & omnem mundi gloriam sublimi mentis arce despexerant, tam cupide, tam anxie, tam studiosè de loco, vbi eorum conderentur cineres, litigabant, nisi quia per Prophetiae spiritum nouerant, Saluatorem mundi illic de suo semine nasciturum, & sanguinem, qui mundi peccata dilueret, in illa specialiter regione fun- dendum: sicut per Psalmistam dicitur: Quia Deus noster ante secula, operatus est salu- tem in medio terrae. Quod nimirum quanquam de ipso Domini corpore specialiter possit intelligi, de regione tamen illa quoque, vbi pati dignatus est, quae certè mundi meditullium est, non incongruè dici videtur. In Chanaanæ igitur terra sancti Patres nostri tumulos elegerunt, vt inde illi mererentur quandoque, resurgere, vbi ille videli- cet resurrectionis author Christus, primogenitus viuorum & mortuorum, in se digna- tus est resurrectionis gloriam declarare. Et quid amplius dicam de honore, quem bo- norum remunerator Deus sanctorum suorum corporibus exhibet, quando ipse Deus omnipotens Moysi corpus dignatus est sepelire, & Elisei cadaver mortuum legitur suscitasse: Immo, vt verum fatear, quod in carne viuentibus sanctis minimè contulit, hoc sapè diuina dispensatio mortuis praerogauit. Quod in Abdo scilicet viro Dei li- quidò perpenditur, quem viuente quidem leo potuit occisurus inuadere, sed cadaver eius nequaquam permissus est aliquatenus violare. Preciosa nimirum in conspectu Do- mini,

30. Iulij.

2. Cor. 5.

Deut. 32.

Leuit. 25.

1. Cor. 15.

Gen. 18.

Gen. 24.

Gen. 49. &

50.

Psal. 73.

Terra san-

cta mundi

meditullium

dicitur.

Deut. 34.

4. Reg. 13.

3. Reg. 13.

Psal. 113.

Notent hec
moderni te-
pore hereti-
ci quibus
curæ nō est,
quò loco
sepeliantur.

mini, mors sanctorum eius. Non ergò mirum, si diuina dispensatio congrua Sancto-
rum corporibus loca distribuit, & ea nunc quasi quoddam depositum terræ commē-
dat, quæ postmodum in regnis caelestibus transferēda restituat. Sed iam propter quod
ista præmissimus, de beati Ruffini miraculis breuiter aliqua perstringamus.

Beati igitur huius martyris corpus de suburbio Assisensis oppidi, vbi antiquitus
fuerat positum, intrā mœnia postmodum fuit gentilis impetūs terrore translātū. La-
brum autem lapideum, in quo prædictum corpus antè iacuerat, per longum tempus
extra muros fuerat derelictū. De quo nimirum inter populum & Hugonem, eiusdem
tunc sedis Episcopum, grauis est orta seditio. Episcopus siquidem ad ecclesiam beate
Mariæ semper virginis, quæ eius loci prima sedes est, deferendum esse censebat, eo ni-
mirum consilio, vt quòd mater Ecclesia corpus martyris non haberet, quodam saltē
vacui sepulcri solatio compensaret. Econtrā populus assererat, inter sacras reliquias
& proprium tumulum diuisionem fieri nō debere, nec humanis nunc adinuentioni-
bus permutandum, quod ab ipso gloriosi martyris cōsummato triumpho videretur
diuinitus institutū. Taliter igitur hinc atque inde certantibus, labrum mœnibus vr-
bis infertur, & ab vtrisque simul partibus ad biuij cuiusdam compitum peruenitur.
Illic itaque cūm fautores Episcopi ad sanctæ Mariæ, reliqua autē pars populi ad beati
Ruffini basilicam sacrum vasculum pertrahere molirentur, his atque illis in diuersa
nitentibus, crescente iurgio, eò vsque processum est, vt furentes arma corripent, &
mutuos inter se ictus, amissā placidæ mentis ratione, miscerent. Vibratis itaq; gladijs,
cominus vtrinque concurrunt, & acres ardentibus animis ad infligenda mutuò vul-
nera debacchantur. Sed ò prædicāda diuina clementia, quæ humanis miseretur erro-
ribus, & sæpè nostris prauis voluntatibus ita obuiat, vt ad bonos exitus ipsa etiā malè
cocepta perducatur. Quid multis morer? Nullus illic vulneratur, nulla deniq; nec tenuis
quidem gutta sanguinis funditur, atque vt mirabilibus adhuc mirabiliora succedant,
sexaginta ferè viri ex parte Episcopi prædictum vasculum ad Ecclesiam beate Mariæ
conabantur attrahere, sed nullis illud nisibus de loci sui fixa potuerunt statione mo-
uere. Illi igitur cūm iam præ lassitudine fracti, omninò deficerent, & vehiculum lapi-
dis funditus desperarent, tunc ex altera parte vix septem homines vrnā corripientes,
ad S. Ruffini basilicam tanta illam permissi sunt celeritate peruehere, vt nō lapidem,
sed palearum potius viderentur fasciculum deferre. Illic populi clamor exultantis
attollitur, gratiarū actio fautori Deo lata persoluitur, & quia pius Deus vnum cum
populo suo senserit, ab omnibus alacriter diuulgatur. Tunc denique probatum est,
verum esse quod dicitur: Vox populi, vox Dei.

In quantus
in pisco
populo
amor reli-
quiarum.

Accessit autem ad rei certitudinē & presbyter quidam, ab ipso videlicet beato Ruf-
fino ad Episcopum missus. Nam cūm præfatus Episcopus aduersus eos, qui sibi resiste-
rant, non leuiter commotus esset, atq; illi pararent sibi dignè satisfacere, & deuota il-
lum humilitate placare, presbytero, quē diximus, per visum beatus martyr apparuit,
eiq; dixit: Vade, & dic Episcopo, si me non vult offendere, satisfactionem quamlibet à
populo non recipiat: sed gratis ei puram sui amoris & benedictionis gratiam reddat:

Vide an Sa-
eti nesciant
res huma-
nas.

Mea siquidem hoc gestum est voluntate, vt vasculum illud ad meā deferretur eccle-
siam, quatenus meum in eo corpusculum denudò recōdatur. Nouerit etiam, quia nisi
ego illis tumultuantibus interfuissem, meq; eorum telis opposuissem, magna homi-
num strages fusa iaceret. Sed cūm Episcopus adhuc hæsitās, ne his quidem verbis pre-
sbyteri fidem accomodare disponderet, ecce quidam, qui contractus fuerat, gaudens
& exultans eodem die à beato se Ruffino fatebatur erectum, sibi que ab eodem beato
martyre hoc mandatū perhibebat iniunctum, vt hæc ipsa cuncta per ordinem, quæ
presbyter assererat, ipse quoq; nihilominus Episcopo nunciaret. Tandem Episcopus
omni scrupulo dubietatis amoto, quod sibi imperatum est, incunctanter exequitur,
atq; in gratiam suo populo donatis offensionibus fœderatur. Sed nē apud aliquē for-
tassis Episcopus nauum reprehensionis incurrat, quia ab ecclesia sua ad horam disce-

Contracti
sanatio.

Gen. 27.

dens, contra Dei iudicium sentiebat, Isaac ad memoriā reducendus est, qui non Esau,
à se videlicet electum, sed Iacob potius, ab vxore suppositum benedixit. Et illic ergò
carnalis vxor, & hic spiritualis spōsa viris suis in propriæ sententiæ diuersitate praua-
luit: quia qui mundi infirma elegit, vt confundat fortia, Deus vtrique confensit. Pro-
pheta quoque Dauid construere templum voluit, sed hoc illi superna dispositio non
permisit. Inter Paulum quoque & Barnabam pro Iohanne quodam legimus interue-
nisse dissidium: propter quod tamen nō solum vtriusque Apostoli nō imminutum
est me-

1. Cor. 1.
2. Reg. 7.

Acto. 15.

est meritum, sed ipse quoque discipulus ab Apostolica disciplina linea non errauit. Non ergo mirum, si nunc homo aliquando inscius à veritate dissentiat, cum & ipsis Apostolis & Prophetis humanitus aliquid accidisse, scripturarum autoritas probet. Sed hæc aliàs. Nunc ad proposita redeamus. Porro eodem die, duo cæci ad altare beati martyris illuminati sunt. Sed & alius debilitatus membris & gibberosus, erectus est, & saluti per omnia restitutus. De quibus porro miraculis, duntaxat quid factum sit, nobis referre sufficiat, nè si qualiter facta sint singula, per rei gestæ ordinem referre contendimus, auditores fortassis (quod absit) lacinosi styli prolixitate grauemus. Ipsa quoque miracula enumerando persequi cuncta negligimus, sed velut ex magno quodam flumine cyathum haurientes trahimus, quem super mensam Christi conuiuantibus salubriter propinemus: nè mentis stomachus ingurgitatione grauari, sed sobrio potu tantummodo sitis possit auferri. Ad alia igitur adhuc enarranda miracula, quæ per eundem beatissimum martyrem diuinitus sunt ostensa, pergamus:

Cæci videt.
Gibberosus erigitur.

Peridem itaque tempus vir quidam non ferenda vesaniæ crudelis & rigidus, pauperulæ mulieri de sui iuris agro chartulam fecerat, quam tunc cum magni furoris impetu contumaciter requirebat: vnde & bouem sibi, & vnam securim violenter abstulerat, robur videlicet domesticæ facultatis, & spem regenda familiæ. Quod illa præ dolore non ferens, cum contribulati amaritudine spiritus ecclesiam beati Ruffini festinanter ingreditur, ante altare prosternitur, atque vt sibi in tantæ calamitatis articulo subueniret, lachrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adest tandem diuina misericordia, & mox vt ab oratione confurgit, iacere in pauimento securim suam ante pedes attonita conspicit. Illico mœror nimirum in lætitiã vertitur, & digna Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant, vnanimiter exhibetur. Sed ecce raptor negotium adhuc suæ peruersitatis exequitur, & præfata mulieri, nisi monumentum redderet, supplicium comminatur: qui tamen mox vt securim tam mirabiliter reditam didicit, confusus & obstupescens expauit, bouem reddidit, pœnitentiam egit, atque omnem querelam, quam eatenus aduersus eam habuerat, sedata animi feritate, sopiuit.

Nota non nescire Sanctos res nostros.

Præterea duodecim fures inuicem conspirantes, in domum cuiusdam rustici hostiliter irruerunt. Qui ligantes cum primò, deinde boues & cætera domus animalia diripientes, protinus abiērunt. Interea rusticus lachrymabiliter vociferabatur, & gemebundus aiebat: O sancte Ruffine, aspice miserum, releua calamitate depressum, nec placeat tibi, vt prædones & nequissimi homines meæ facultatule paupertate diripiant. Ad hanc ergo vocem (mira res) cum iam raptores animalia prosequentes, duodecim miliarijs ferè transmissis procël abissent, ecce omnes, qui direpti fuerant, greges, balantes & mugientes accurrunt, & intrâ caulas se solito more recipiunt. Sicque factum est, vt & illi quæ præ manibus habere videbantur, repente sublata congererent: & iste quæ desolebat amissa recipiens, versis vtròbique vicibus, exultaret. Visis itaque tot virtutibus, & tam evidentibus miraculorum signis, prædictus Hugo, venerabilis eiusdem sedis Antistes, de parua basilica, in qua sanctum corpus fuerat antè receptum, magnam construxit ecclesiam, & iuxta possibilitatem sumptus, non ignobiliter decorauit. Deinde beati martyris corpus in ipso alueo, qui certaminis materia fuerat, condidit, & cum magna totius diocesanæ plebis frequentia altare desuper consecrauit. Porro autem quanti illic deinceps cæci fuerint illuminati, quanti à demonibus erepti, quanti ex varijs languoribus liberati, perlongū est vel apicibus tradere, vel sermone proferre.

Boues furto ablati, per 12. miliaria peragrantes, in suam caulam vtrò reuerfi sunt.

Multa miracula fiunt.

His itaq; transactis, cœpit non parua inquisitio fieri, quo die inuidissimi triumphatoris Christi Ruffini deberet martyrium celebrari. Nullis siquidem apud eos extantibus historiæ monimentis, sola erat eatenus annuæ dedicationis solennitate contenti. Tandem authore Deo, reperta passionis historia, constituit venerabilis Pontifex iuxta tenorem videlicet, quem literæ testabantur, vt tertio Calendas Augusti eiusdem gloriosi martyris festiuitatis coleretur. Nonnulli verò aduersus Episcopum inuidiæ facibus accensi, & vesaniæ spiritu implacabiliter incitati, tumultuabantur, onerosum esse dicentes, populum geminatis vnus sancti solennitatibus feriari, superstitosumque esse domesticis adiuuentas studijs festiuitates nouiter introduci: ad summam, non fabricatum hoc religionis amore, sed ardore pecuniæ. Præsertim autem quidam proterui homines, qui à vocabulo loci, quem incolunt, Insulani vocantur, ipso præ-

N n clare

Esa. 46.
Obserua vl-
tationem in
violatores
festi.

Elementum
aque vires
sias natu-
rales repræ-
sentat.

Pœna sacri-
legij.

De sanctos
visionis suæ
cibo reficit.

Ephes. 4.

clara festiuitatis die irreuerenter abutentes, cœperunt cum suis mulierculis non mō-
dò textrinis operibus audaciter insistere, verum etiam ruralibus exercitijs liberis in-
sudare. Sed protinus illos sententia diuinæ animaduersionis vlscitur, & flagellis
cruditi, ad cor redeunt, qui cor habere in prosperitate noluerunt. Vt eis aptissime
congruere videatur, quod per Prophetam dicitur: Redite prænaricatores ad cor.
Illud etiam: Et nunc ignis aduersarios consumit. Nam casas eorum repente flamma
corripuit, & non solum globis domestica quæque, sed & quæ in agris erant, omnia globis
inextinguibilibus conflagrauit, adeò vt infelices illi in extremis iam periculis consti-
tuti, ad amnem hinc inde confluerent, & in ipsum gurgitis alueum accensa quæque
iactarent. Sed vt perspicue probaretur hoc non casum, sed diuini furoris esse iudici-
um, quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro itaque modo elementum illud
vires sui iuris & partim tenebat, & ex parte perdidit. nam & liquida erat aqua, vt
immersa quæque fluctu dehiscente reciperet: & quodammodo humida non erat, vt
ardentia extinguere posset. Sed quid minimis occupauerit, & extinctionis remedium, quocunque se verte-
rent, inuenire nõ valerent? Tandem vtilitati, fumigati, & in modum torris combusti,
cum magnis vlulatum stridoribus ad beati Ruffini altare cõfugiant, indulgentiam pollicentur,
petunt, & commissi piaculi deceterò emendationem per pœnitentiam pollicentur.
Precibus igitur beatissimi martyris ab incendij doloribus liberati, incolumes ad pro-
pria sunt reuersi. Ab illo itaque tempore absque vilo cunctationis obstaculo, beati
Ruffini martyrium colitur, & die, quam prædiximus, cum magnæ deuotionis instãtia
ad eius ecclesiam à populis vndique conuenitur.

Illud quoque prætereundum esse non arbitror, quòd viri quidam trabem de sylua
operosis exercitijs leuigatam, ad beati Ruffini vectare ecclesiam conabantur: quibus
nimirum quidam Perusinarum violentiam ingerentes, lignum hostiliter extorsit.
Sed cum raptores arborem instãtissimi conatus anxietate protraherent, & iam iam
quæ Perusinis mœnibus vno vix interiacente milliario propinquarent, repente vehi-
culum hæsit, nullisque virium nisibus impelli vlterius potuit. Interea cõtigui quique
homines ad auxilium confluunt, non pauci etiam iugati boues adduntur. Ordine
diligentiùs machinam, inuicem exhortantur, in robur se colligunt, armos obijciunt,
vociferanter impingunt, lignum tamen immobile permanet, ac si fixum radicibus
teneretur. Demum magistra necessitas docuit, quod cæca hominum prauitas igno-
rabat. Mens nanque eorum perpetrati criminis conscia, licet serò, liquidò cognouit,
quia qui de beati martyris substantia rapinam fecerant, meritò illis diuina virtus ob-
stabat. Mutato itaque repente consilio, Assisium versus illic vehiculum dirigunt, &
accelerandi facultate percepta, beatissimo martyri, quod superbè rapuerant, humi-
liter reddunt.

Agamus igitur Saluatori nostro Christo gratias, & digna laudum præconia refera-
mus: qui dum per ciues superne Hierusalem talia nobis beneficia prærogat, tanquam
per exiguas micæ ac tenues, ad plenum nos conuiuium mensæ cælestis inuitat: & dum
illos iam post laborem quiescentes in patria vbertim satiat, nos etiam in huius pere-
grinationis itinere, quasi quibusdam ciborum reliquijs vtcunque sustentat: immò qui
illos solido suæ visionis cibo reficit, quandò nos signorum suorum lacte tanquam
paruulos nutrit, donèc occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis
plenitudinis Christi: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuunt & regnant in secula se-
culorum, Amen.

EIVSDEM HYMNVS DE IPSO SANCTO
RVFFINO, BREVITER EIVS MARTY-
rium compræhendens.

Cæditur os
lapidibus
&c.

Mittitur in
cibanum.



Agnum Ruffini meritum turba canat fidelium,
Quo mundi victor extitit, & liber astra petijt.
Bellator inuictissimus præbet ora lapidibus,
Sed verbis grando verberum non indidit silentium.
Plumbatis inde cæditur: iam iam obisse creditur:
Sed qui putatur mortuus, surgit in arma promptius.
Detruditur in cibatum, furentem flammis ignium,

Cam-

Caminus sed incendij, sit nemus refrigerij.
Nam flammis crepitantibus clarus immerfit Angelus,
Ad cuius mox imperium perdit vires incendium.

DIVISIO HYMNI.

Certat martyr egregius, vt leo vinci nescius:
Cuncta poenarum genera mente calcat intrepida.
Saxum collo suspenditur, sic fluctibus immergitur,
Quem aqua Christo genuit, per hanc ad ipsum peruenit.
Nunc carnis liber onere, rubro vestitur podere,
Corona plexus capite de precioso lapide.
Te martyr alme perimus mentis prone visceribus,
Nos tua soluunt merita, quos nostra grauant debita.
Sit Patri laus ingenito, sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili maiestas summa Flamini,
A MEN.

Mergitur
in aquas.

MARTYRIVM SANCTARVM MAXIMÆ, DO-
NATILLÆ ET SECVNDÆ VIRGINVM, AVTHORE
Adone Archiepiscopo Treurenf.



PVD Aphricam ciuitate Tuburbo Lucernaria, natalis Iulij 30.
sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ & Secundæ:
quæ persecutione Gallieni sub Anolino iudice passæ sunt.
Qui interrogatione facta, distulit audientiam, & beatas
virgines sorores Maximam & Donatillam, ad ciuitatem
Tuburbitanam perducere iussit: quibus nec panem, nec
aquam subministrari præcepit, sed aceto & felle potare.
Videns autem beatissimarum fiduciam, exarsit in ira, &
iussit vt vrgerentur ambulare. Aceto & felle iubetur potari.

Tunc erat quædam puella in superioribus domus suæ
constituta, annorum duodecim, nomine Secunda: cui
dum multæ nuptiarum conditiones offerrentur, omnes contempsit, & vnum Deum
dilexit. Hæc accensa spiritu Dei, cum videret commartyres suas Maximam & Dona-
tillam transeuntes, (sunt enim in superioribus domus eius mœnium, vbi stabat) &
sanctarum virginum pulchritudinem oculis fidei consideraret, cogitauit & decreuit
ad similem gratiam peruenire, & ne aliquis prohiberet, honestè descendere. Vtque
omnia impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem suam contemplata est, nec pa-
trem carnalem curauit; sed relictis omnibus, vnum authorem castitatis Deum quæ-
siuit, quem in æternum possedit & tenuit. Cum ergo egrederentur beatæ martyres &
procederent, Secunda festina clamabat post eas: Nolite me dimittere: veniam vo-
bis cum. & simul cum eis in ciuitatem Tuburbitanam ingressa est. Alia die, hora tertia
Anolinus pro consul pro tribunali confedit, & Maximam & Donatillam sibi præsen-
tari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cum cæderentur, iussit calcem super plagas
earum spargi & fricari. Deinde in euleo extendi & torqueri, & statuam ad libadum
offerri. (alij codices legunt, statuam ad bibendum offerri) Deinde in craticula & ad
carbones igneos sterni, prunasque ardentis super comam capitis earum adijci. Post-
modum in theatro ad delubrum deponi, & ab hominibus conculcari.

Tunc ex officio dictum est, esse cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam
suo iudicio Anolinus pro consul applicari præcepit. Cumque adesset, ait: Christiana
es, an pagana? Secunda dixit: Christiana sum. Statim Anolinus cum Maxima & Do-
natilla ad bestias eam damnauit: easque ferro victas ad spectaculum populi adduci
præcepit. Quæ cum inducerentur, in media arena osculate sunt se inuicem, vt marty-
rium pace completerent. Vrsus ferocissimus ac sauisissimus ilico eis laxatus, in mansue-
tudinem versus, earum vestigia linxit potius, quam momordit. Iratus Anolinus, quia
se furente, bestias mites vidit, locutus cum concilio, sententiam ex tabella recitauit:
Maximam, Donatillam & Secundam, in superstitione sua perdurantes, quæ diuersas
poenas pertulerunt, & bestiis obiectæ sunt, & dijs nostris sacrificare noluerunt, gladio
animad-

Secundæ
puellæ ex
mia virtus.
Dire cruci-
antur.

Damnatur
ad bestias.
Vrsus man-
suescit.

Ceduntur gladio.

animaduerti iussi. Maxima, Donatilla & Secunda dixerunt: Deo gratias. & consummata sunt 3. Calend. Augusti.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRY.

sofioni Encomium sanctorum duodecim Apostolorum.

Iulij 30. vt vult Metaphraistes.

Matth. 4. Apostoli omnes saluantur.

Iudæ pro dicitio causa interitus. Matth. 26.

Esa. 60.

Petrus Romæ docuit, alij Apostoli stoli diuersis locis.

A. 3.

A. 3. & 19.

Matth. 9.

Psal. 132.

Matth. 16.

Ibidem.

Matth. 26.

Attendat peccator quisque penitentiam S. Petri.



ERIT O hodie quoque aduentu sancti spiritus impleta est hæc sagena piscatorum; nobis rationis compositibus piscibus in eam nostra sponte insilientibus, Sermo enim verbi, qui crudijt illiteratos, & eos, qui erant tarda & impedita linguæ; linguis acuit igneis, traduxit eorum artem ad id, quod est diuinius, dicens; Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Dixit: Venite post me, & mutati statim sunt in id, quod est melius, Duodecim electi sunt athletæ; & nullus eorum mansit non coronatus, Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis; & cum eis concurrebat, & vniuscuiusque victoriam reddebat

magis probatam, Solus miser Iudas seipsum à tali chorea separauit; cum osculo lupis ouem ostendisset, & triginta argenteis vendidisset Dominum; cuius sanguis emittit mundum,

Sed ô beatum & præclarum vestrum, ô Apostoli, cœtum; quod omnia facti estis omnibus Dei gratia: non arundine, sed sermone greges hominum peritè capientes, Vos enim estis immobiles columnæ rectæ fidei, scepra Ecclesiæ, & huius maximè Pastoris vigiles defensores; morbi humanitatis gratuiti medici, & nostræ ad Deum penitentia susceptores misericordes. Cùm enim essetis veluti quædam animata incurdes; dum verberarentur, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam; Paulus illinc mundo annunciat Euangelium. Andreas corrigit Græciæ sapientes; Simon Barbaros Deum docet, Thomas baptisinate dealbat Aethiopes; Iacobi cathedram honorat Iudæa, Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria; Lucas & Matthæus scribunt Euangelia, Iohannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tanquàm viuus curat Ephesum, Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam; Philippus faciens miracula, seruat Hieropolin,

Non cessant omnes omnibus vbiqùe benefacere, Pulverem immortalem reliquerunt in sepulcris; nunc quidem pij cultores, paulo post autem sedentes mundi Iudices, Cùm huic appropinquasset claudus; reuersus est sanis & integris pedibus, Cùm in illum incidisset paralyticus; iussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos; illi verbò ei statim obtemperarunt. Alterius autem umbra sola fugabat morbos, Alterius inuocationem exhorrebant demones; & eorum sudaria distillabant medicinam, Erant enim discipuli illius, cuius simbria furto surrepta contactu eius, quæ sanguinis labo-

rabat profluuio, exiccavit rubrum mare sanguinis, Sed ego reuertor ad principes Apostolorum, & memini vocis illius propheticæ; Eccè quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Inchoet ergò Petrus orationem; quoniam is quoque fuit conductus prior in vinea Domini. Petrus gregis boni pastoris onis primogenita, Petrus qui ex lacu transijt in cælum; Qui relictis nautis, dignus fuit habitus, vt loqueretur cum Angelis; Qui relicta naue oneraria, gubernandam assumpsit Ecclesiam; Qui electus est clauiger cælorum, & in terra accepit potestatem ligandi & soluendi; Qui est velox ad vocationem, & in fide minimè dubitans, & magistri feruidus defensor in omnibus; Qui dixit, Tu es Christus filius Dei viui. Qui vnà cum Domino mori proposuit; & vsque ad atrium Caiphæ vnà vadit cum redemptore, Qui etiam negans, fuisti dignus venia; & penitentia ductus, admirabilis, Neque enim tam fuisti reprehendendus propter negationem; quàm beatus censendus propter penitentiam.

Nobis enim fuit errans quoque vtilis, quod cum citò fleuisset, obruit delictum; & parùm labefactus, inuentus est in æternum fundamentum fidelium, Si enim confideraueris, ô dilecte, id quod tunc erat tempus; non inueneris in Petrum magnam cadere

dere reprehensionem, Quando enim sol fugiebat, calum abscondebatur, terra movebatur, petra frangebatur, ut quæ ferre non possent contumeliam eius, qui creaverat, tunc primus cæspitavit, tunc princeps negavit, & ratione vacuum diei nūcium, invenit statim probationem eius, quæ prædicta fuerat, negationis, Priusquam gallus cantet, ter me negabis, Sed cum primus negasset, primus cucurrit ad sepulcrum? primus vitæ datorem vidit resurrexisse à mortuis, cum è Maria didicisset, & quod ei non erat ausus dicere Angelus, qui sedebat supra lapidem,

Iohan. 20.
Luc. 24.

Sed post eum in medium veniat Paulus sapiētissimus orator orbis terrarum, qui factus est ex lupo agnus, ex spinis botrus, ex zizanijs frumentum, ex inimico amicus, ex Hebræis manens firmus ac stabilis: Qui apud illos Saulus eadem spirans & minas, apud nos autem Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus: ex blasphemo Theologus, ex persecutore Evangelista, ex prædōne gubernator, ex proditore miles, Qui cum Petro Romam sortitus est ad sepulcrum, & cum eo hanc quoquæ Sichem non despiciebat? Qui in Beniamin fuit frater Ioseph, & in Thecla, & filijs pater, & magister; Qui ante Damascum cæcus, & in vnaquaque civitate oculus prædicationis? Qui è cælo est vocatus, & raptus fuit in cælum? Qui adspexit paradysum, anrequàm hinc abiret, & victoriæ coronam accepit adhuc luctans, & rursus, ut dicit, ei debetur, Quid enim dicit? Quam reddet mihi Dominus in illo die, Paulus qui ex vltimis primus? Qui ex abortionibus vir perfectus? Qui etiam persequens est suavis, & dum patitur persecutionem, dulcis? Qui est Romanus, & Phariseus, & omnia omnibus factus propter fidem.

Act. 9.

1. Cor. 15.

2. Tim. 4.

Christus enim, qui dixit Petro, Oportet te pati? de Paulo etiam dixit, Quam multa oporteat eum pati pro nomine eius: vt ille quidem crucifixus, hic autem truncatus capite, cum vnam fidem prædicauerint, vnum cursum cōsummaverint, in vno sepulcro habitauerint, sint veri testes resurrectionis eius, qui passus est & mortuus, & resurrexit eo modo, quo nouit, & venit in sinum patris, quem quidem nunquàm reliquit.

Iohan. 21.
Act. 9.

Quos ipse Dominus alloquitur propheticè? Circundate hæc nouam Sion, & comprehendite eam: hoc est, seruate, confirmate & munite precibus, vt quando in tempore irascar, & mouebo vniuersam terram, adspiciens vestrum, quod non desinet, sepulcrum, & quæ vestra sponte simul propter me fertis stigmata, vincam iram clementia, & propter hanc vestram percipiam intercessionem, Sacerdotium enim & regnum quando videro lachrymans, statim tanquàm misericors inflector ad misericordiam, & memini illius meæ vocis: Protegam hanc ciuitatem propter David seruum meum, & Aaron sanctum meum, Qui quidem cum sicut vos fide essent concordēs, & voluntaria humilitate rexissent auctoritates, & vestitu ostendissent animi abiectionem, multas mihi obtulerunt myriadas discipulorum, me ferentes, & à me mundo petentes placationem, Dixi enim; Petite, & dabitur vobis? quærite, & inuenietis, Domino sit gloria in secula seculorum, Amen.

Psal. 47.

Petrus & Paulus inuocadi pro conseruanda fide.

Esa. 37.

Marth. 7.

DE SANCTO FABIO MARTYRE CÆSARENSI, EX ADONE TREVIRORVM

Archiepiscopo.



Æfæreæ passio S. Fabij martyris: qui cum ferre vexilla præsidialia recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem trusus est. Deinde productus, sistitur ante tribunal. Interrogatus semel & iterum, in Christi confessione perdurat, & mox à furibundo iudice capitali sententia condemnatur. Post hæc inhumatum corpus custodiri iubetur: quod post triduum reticulo infutum, in maris profunda, seorsum caput, seorsum cadauer, immergitur. Sed Domini virtute rescisso reticulo, membra capiti reuocantur, & scapulis ceruix cum indicijs passionis adiungitur. Atque ita suæ integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caternitanum litus euectum, & condigno cultu à fidelibus in basilica tumulatur est.

Iulij 31.

Caput ei amputatur.

Insigne miraculum.